

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

IN NEAERAM.

H_1 v.1 Cum primum mihi candidae Neaerae
 2 illos sideribus pares ocellos
 3 ostendistis, ocelluli miselli,
 4 illa principium fuit malorum,
 5 illa lux animi ruina nostri.
 6 Sic primis radiis repente tactus
 7 totus intremui cohorruique,
 8 ut leves nemorum comae virentum
 9 primis flatibus intremunt Favoni ;
 10 et cor jam meditans ad illam abire
 11 per pectus trepidansque palpitans que
 12 jamque evadere jamque gestiebat ;
 13 ceu solet puer artubus tenellis,
 14 quem nutrix gremio fovet, parentem
 15 affectare oculis et ore, parva
 16 jactans brachia ; ceu volens volucres
 17 adhuc involucres volandi inani
 18 infirmas studio movere pennas.
 19 Tum mens provida, virium suarum
 20 quippe conscia, ne locus dolosis
 21 esset insidiis, miselli ocelli,
 22 vos ad pectoris excubare portas
 23 insomni statione jussit. At vos,
 24 sive blanditiis dolisve capti,
 25 seu somno superante, sive sponte
 26 consististis, herumque prodidistis,
 27 fugit corque animusque, me relicto
 28 excorde, exanimo. Quod ergo fletu
 29 nunc satisfacere arbitremini vos,
 30 nil est : quem lacrimis movere vultis
 31 non adest animusve corve ; ad illam
 32 ite, orateque et impetrate ab illa.
 33 Ni exoraritis, impetraritisque,
 34 faxo illam adspiciatis usque et usque,
 35 donec vos ita luce reddat orbos,

36 ut me corde animoque fecit orbum.

AD EANDEM.

H_2 v.1 Seu procacibus annuas ocellis,
 2 seu minacibus abnuas ocellis,
 3 juxta me miserum, Neaera, perdis,
 4 spe torques modo credula timentem,
 5 nunc formidine maceras dolentem.
 6 Spes, si lumine respicis bebigno,
 7 lentis ignibus ustulat medullas :
 8 timor, lumine si aspicias maligno,
 9 pigro frigore congelat medullas.
 10 Sic jactor miser huc et huc, timores
 11 spesque inter dubiae patens procellae,
 12 nec unquam vigili quieta cura
 13 vitae noxve diesve mi refulsit.
 14 O saevissime numinum Cupido,
 15 si insensus pariter favensque perdis,
 16 quis portus mihi spem feret salutis ?

AD EANDEM.

H_3 v.1 Quantum delicias tuas amabam,
 2 odi deterius duplo ampliusque,
 3 tuam nequitiam et procacitatem,
 4 postquam te propius, Neaera, novi.
 5 At tu si penitus perire me vis,
 6 si vis perditae amem, et magis magisque
 7 totis artibus imbibam furorem,
 8 sis nequam magis, et magis proterva.
 9 Nam quo nequior es, proterviorque,
 10 tanto impensius uror inquieto
 11 ventilante odio faces amoris,
 12 et lentas iterum ciente flammis.
 13 Quod si sis melior, modestiorque,
 14 odero minus, et minus te amabo.

AD EANDEM.

H_4 v.1 Risus, blanditiae, procacitates,
 2 lusus, nequitiae, facetiaeque,
 3 joce deliciaeque, et illecebrae,
 4 et suspiria, et oscula, et susurri,
 5 et quicquid malesana corda amantum
 6 blandis ebria fascinat venenis,
 7 hinc facessite. Jam vale Neaera.
 8 At tu mens bona, sanitas, salusque,
 9 continentia, castitas, pudorque,
 10 et modestia, veritasque simplex
 11 fraudes acerbis intuens ocellis,
 12 et quisquis malesana corda amantum

13 funestis deus eximis venenis,
 14 adsis : adsere me mihi, impotentis
 15 vix tandem dominae jugo solutum.
 16 Frustra blanditiae appulistis ad me,
 17 frustra nequitiae venitis ad me,
 18 frustra deliciae obsidebitis me ;
 19 frustra me illecebrae, et procacitates,
 20 et suspiria et oscula, et susurri,
 21 et quicquid malesana corda amantum
 22 blandis ebria fascinat venenis,
 23 frustra jam aggrediemini dehinc me.
 24 Quid me mollibus implicas lacertis ?
 25 Quid procacibus intueri ocellis ?
 26 Quid fallacibus osculis inescas ?
 27 Ne labris labra, inepta, pectorive
 28 pectus confere, machinis nec istis
 29 ullus jam superest locus, nec arti :
 30 non sum stultus ut ante. Jam neaera
 31 vale. Dum bona, dum pudica, nobis
 32 caris carior aestimata ocellis ;
 33 at postquam es mala et impudica, nobis
 34 vili vilior aestimata caeno.
 35 Eheu me miserum ! Statim voluta
 36 unda lucida per genas sinusque
 37 insultat tremulo fugax rotatu,
 38 et per turgidulas fluens papillas,
 39 sensim gemmeus intumescit imber,
 40 molles agglomerans decenter orbes.
 41 Ergo haec possum ego lentus intueri ?
 42 Cernam ferreus ergo saxeusque
 43 corrumpi male tam bonos ocellos ?
 44 Haec si possum ego lentus intueri,
 45 possum et ferreus esse saxeusque.
 46 Quin vos mens bona, sanitas, salusque,
 47 continentia, castitas, pudorque
 48 et modestia, veritasque simplex
 49 fraudes acribus intuens ocellis,
 50 et quisquis malesana corda amantum
 51 funestis deus eximis venenis,
 52 hinc facessite : vos adeste rursus
 53 risus, blanditiae, procacitates,
 54 lusus, nequitiae, facetiaeque,
 55 joci, deliciaeque, et illecebrae,
 56 et suspiria, et oscula, et susurri,
 57 et quisquis malesana corda amantum
 58 blandis ebria fascinat venenis :
 59 sic me vivere, sic mori suave est.

AD ANTONIUM GOVEANUM.

H_5 v.1 Si quicumque, Goveane, fas mihi esset,
 2 invidere tibi, Tevieve,
 3 et te nostro ego Tevio inviderem,
 4 et nostrum tibi Tevium inviderem.

5 Sed cum me nihil invidere fit fas,
 6 vel tibi, Goveane, Teviove,
 7 si fas est, quod amor dolorque cogit,
 8 vobis imprecor usque et imprecabor,
 9 uterque ut mihi, sed cito, rependat
 10 hoc pravum hoc facinus malumque poenas :
 11 te mi Tevius invidere possit,
 12 tu possis mihi Tevium invidere.
 13 Ambobus mihi si frui licebit,
 14 caelum diis ego non suum invidebo,
 15 sed sortem mihi dii meam invidebunt.

AD NEAERAM.

H_6 v.1 Cum das basia, nectaris, Neaera,
 2 das mi pocula, das dapes deorum ;
 3 ut factus videar mihi repente
 4 unus e numero deum, deisve
 5 si quid altius est beatiusve.
 6 Sed nectar mihi dulce basiorum
 7 sic fallacibus imbuit venenis,
 8 ut qui nunc fueram deus, deisve
 9 si quid altius est beatiusve,
 10 praeceps in Stygium datus barathrum
 11 degam Erinnyas inter, aut barathrum
 12 si quid sit Stygium infra Erinnyasve.
 13 Sic statim mihi cor, jecur, medullas,
 14 et venas tacite malum pererrat ;
 15 sic corpus mihi tabe colliquescit,
 16 ardet ignibus, aestuat venenis ;
 17 sic mentem mala pestis occupavit ;
 18 ut sit nectare suavius venenum,
 19 vita mors potior, labor quiete,
 20 sanitate furor, salute morbus.

IN BELEAGONEM.

H_7 v.1 Judaeum, Beleago, quod negas te,
 2 et vis testibus id probare magnis.
 3 Erras, testibus ista non probatur
 4 res, (ut scis, puto) mentula probatur.

IN GELLIAM.

H_8 v.1 Cum conchis gravis aequoris Britanni,
 2 et rubri maris Indicique onusta
 3 incedis spoliis, nitesque Serum
 4 molli flamine, mille cum venenis,
 5 fuco, polline, lacte, purpurissa,
 6 cerussa, marathro, oesypo, hordeoque,

7 oris Gorgona nudam adulterasti,
 8 orbemque ad speculi diu refinxit :
 9 cum tectoria coaluere prima,
 10 crusta cum patitur coacta solem ;
 11 prodis Gellia, ceu recens Promethei
 12 in fornace recocta, flagitasque
 13 ecquid tum videare : picta belle.

AD GULIELMUM LURIUM LONGANUM SENATOREM BURDEGALENSEM.

H_9 v.1 Orabam modo blandius Camenas
 2 ut dignum mihi carmen explicarent
 3 Longani auribus, eruditione
 4 dignum, et iudicio politiore ;
 5 cum mi talia reddit una, ad illum
 6 nec tuis precibus locusve opusve est.
 7 Nos sic diligit, excolit, fovetque,
 8 ut non diligat amplius Minerva.
 9 Ad saltem mihi diva carmen, inquam,
 10 commendatior illi ut esse possim,
 11 qui sic diligit unice Camenas,
 12 qui sic diligitur sacris Camenis,
 13 concede. Illa refert ; inepte, tantum
 14 te nostri comitem chori esse dicas,
 15 et communibus in sacris ministrum.
 16 Hoc illi satis est, sacris Camenis
 17 qui sic diligitur sacris Camenis,
 18 qui sic unica amat, colit, fovetque, ut
 19 probetque omnia, quae probent Camenae,
 20 probentque omnia, quae probet, Camenae.

AD THEODORUM BEZAM.

H_10 v.1 Praesul optime, sacra Christiana
 2 qui caste colis et facis, canisque,
 3 ad te carmina mitto, nec Latino
 4 nec Graio sale tincta, sed Britannis
 5 nata in montibus horrida sub Arcto,
 6 nec caelo neque saeculo erudito.
 7 Quae si iudicio tuo probentur,
 8 ut classis modo in ultimae referri
 9 possit centurias, nihil timebo
 10 censuram invidiae, nihil morabor
 11 senatus critici severitatem,
 12 nihil grammaticas tribus, mihi unus
 13 Beza est curia, censor et quirites.

ADAMAS IN CORDIS EFFIGIEM SCULPTUS, ANNULOQUE INSERTUS,
 QUEM MARIA SCOTORUM REGIA AD ELIZABETHAM ANGLORUM REGINAM MISIT ANNO M.D.LXIV.

H_11 v.1 Non me materies facit superbum,
 2 quod ferro insuperabilis, quod igni,
 3 non candor macula carens, nitoris
 4 non lux perspicui, nec ars magistri,
 5 qui formam dedit hanc, datam loquaci
 6 circumvestiit eleganter auro :
 7 sed quod cor Dominae meae figura
 8 tam certa exprimo, pectore ut recluso
 9 cor si luminibus queat videri,
 10 cor non lumina certius viderent.
 11 Sic constantia firma cordi utrique,
 12 sic candor macula carens, nitoris
 13 sic lux perspicui, nihil doli intus
 14 celans ; omnia denique aequa praeter
 15 unam duritiem. Dein secundus
 16 hic gradus mihi sortis est faventis,
 17 talem heroida quod videre sperem,
 18 qualem spes mihi nulla erat videndi,
 19 antiqua donina semel relictata.
 20 O si fors mihi faxit, utriusque
 21 nectam ut corda adamantina catena,
 22 quam nec suspicio, aemulatiove,
 23 livorve, aut odium, aut senecta solvat :
 24 tam beatior omnibus lapillis,
 25 tam sim clarior omnibus lapillis,
 26 tam sim carior omnium lapillis,
 27 quam sum durior omnibus lapillis.